



**M**AXIMILIANUS filius fuit Ferdinandi Cæsaris, atq; Annæ reginæ Vngariae. natus est autem die Augusti anno 1527. Hunc optimus pater doctis atq; pijs præceptoribus educandum tradidit, atq; hac ratione uiam ad summos honores præparauit. Erat enim Maximilianus natura uirtutis auditus, atq; multis animi & corporis dotibus præditus. Hinc factum ut optimæ spei princeps breui sibi magnam apud proceres Germaniæ authoritatem compararit. In primis autem ueram religionem amabat, atq; ex Euangelij lectione institutus, Christi gloriam unicè promouere gestiebat. Patrem etiam quandoq; ad comitia Imperij comitatus, ibidem rerum usum didicit, atq; res sibi commissas fideliter peregit. Itaq; factum ut postea à patre Archidux Austriae creatus, atq; etiam Bohemis prepositus fuerit. Carolus etiā Imperator huius dexteritate motus, eius opera in bello Gallico & Smalkaldico usus, deinde ob uirtutes eum suum generum asciuit, atq; Mariam filiam puellam uenustissimam despondit. Postea Carolus Germania pacata Maximilianum anno salutis nostræ 1548 cum imperio in Hispaniam misit, atque Philippum filium ad se Augustam uocauit. In ea expeditione Cardinalem Tridentinum comitem, atq; Andream Auriam ductorem habuit.